

PROLOGVS

Postquam poeta vetu' poetam non potest
retrahere a studio et transdere hominem in otium,
maledictis deterrere ne scribat parat ;
qui ita dictitat, quas ante hic fecit fabulas
5 tenui esse oratione et scriptura levi : 5
quia nusquam insanum scripsit adulescentulum
cervam videre fugere et sectari canes
et eam plorare, orare ut subveniat sibi.
quod si intellegeret, quom stetit olim nova,
10 actoris opera mage stetisse quam sua, 10
minu' multo audacter quam nunc laedit laederet
11^a [et mage placerent quas fecisset fabulas].
nunc siquis est qui hoc dicat aut sic cogitet :
"vetu' si poeta non laccessisset prior,
nullum invenire prologum po[tui]sset novos 15
15 quem diceret, nisi haberet cui male diceret,"
is sibi responsum hoc habeat, in medio omnibus
palmam esse positam qui artem tractent musicam.
ille ad famem hunc a studio studuit reicere :
hic respondere voluit, non laccessere. 20
20 benedictis si certasset, audisset bene :
quod ab illo adlatumst, sibi esse rellatum putet.
de illo iam finem faciam dicundi mihi,
peccandi quom ipse de se finem non facit.